



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Lazarus Episcopus. 17. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

delitiis: Revoca in animum tuum causas tuæ conversionis, ex iisdem causis iidem effectus orientur.

S. LAZARUS Episcopus.

17. Decembr.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce? quem amas, infirmatur. Joan. cap. ii.

Ille Lazarus est quo Fratre Germano nobilissimos Sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere amantem, ut contra ferreas Mortis leges sepultum jam & tabescentem vitæ, & quod caput est, amicitia suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abrahamæ non invitus rediret Lazarus. Cæterum sic vivus invidiâ tantum non emori Judæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, stultissimo consilio, cum Fatibus jura dicere Christum viderent notum jam nuper Lazari patronum. Hoc tamen in caelos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus

bus, revixere odia in Lazarum nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è schola Christi & LXXII. discipulis fuit) Marthaque & Magdalena sororibus, Virgine item Marcellâ, exul in navim compingitur velis remisque sed non cælesti etiam aurâ destitutam. Nam Lazarum sociosque in Gallias tulit & innoxios Massiliæ exposuit, Miraculo & hæc & aliæ vicinæ urbes permultæ Christo crediderunt Tum demum amoribus suis in silvis Magdalena vacavit, Martha sanctis Virginiibus, Lazarus Civibus Antistites præfuerunt. Dubium ergo est Lazarus ne invenerit illic portum, an ostenderit Gallis? certè si absq; Lazaro fuisset, naufragium in portu Massilienses fecissent. *Ex hist. Evang. & Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De Lazari suscitatione.

1. **M**irum sanè precationis genus? sorores Lazari, missis ad Jesum literis, sic eum deprecantur: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Enim verò sufficit, suam Christo necessitatem aperire; amat, curabit infirmitatem. Macte persevera in oratione. In rebus desperatis ac depositis, nihil non sperandum in Domino. an non soles ad Deum duntaxat confugere, cum humanam opem frustra adhibuisti? Attamen primùm divinum, tum humanum remedium est adhibendum.

Tandem

2. Tandem adest Jesus, lacrymatur; gratias agit Deo Patri, elatâ voce mortuum vocat; his docet Christus, ad nova beneficia impetranda, gratiarum actionem præmittendam esse. Lætare anima mea, quòd Jesus tantùm te amet, quantùm Lazarum! proinde tuis in afflictionibus utere his verbis: *Domine quem amas, infirmatur; sufficit, ut noveris, non enim amas, & deseris.* Aug.

3. Vocanti Christo sine mora Lazarus obediens, surgit è feretro. Domine, à tanto tempore me vocas & dicis animæ meæ: exurge, quare obdormis? sed surdus sum, vocationem & inspirationem tuam non audio. Anima mea? jam tempus est Deo parendi. *O vita? qua das mihi vitam, per quam vivo, sine qua morior, ubi te inveniam, us in me deficiam, & in te subsistam.* Augustin.

S. MODESTUS Confess.

18. Decembr.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Epist. ad Philipp. 4. v. 5.

NObiliores nemo Modesto habuit cunas. Rogas quales? Carceres fuere, in quos ad captivum patrem vix natum mater asportavit, docuitque à teneris Martyrem esse. quinto à partu Mense inter preces uterque parens inibi animam Deo reddidit, opulentam filio heredi.